



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Tarasius Ep. 25. Februarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

25. Feb.

VITÆ SANCTORVM.

113

Magnum deinde fecit populi concurrentis furor. Ornarunt præ reliquis testes duo mendaces iidemque carnifices, ut qui primi MATTHIAM lapidibus petierunt. Hos ille velut acclamantium symbola accepit, veluti que triumphi sui decora tumulo secum inferri præcepit. Denique ut integer suus pompæ honor constaret, secures, quæ præferri aliàs solebant, ipse triumphator tulit. Ex *Ioach. Periconio.*

Primum adeptus est gentium S. Matthias, quia prius sibi met didicit principari. Sic namque ad veri honoris conscenditur cathedram, ut antè quis sibi, deinde dominetur & cæteris. Nunquam aliis bene præerit, qui sibi extiterit nequam. B. Laur. Just. ser. de S. Matth.

S. TARASIUS EP. 25. Februarii.

PER gradus honorum, ex quibus alii præcipites ire solent, ad astra TARASIVS evasit. Consul principiò, tum inter eos, qui ab arcanis literis Imperatoribus erant, Princeps; demum Archiepiscopus Constantinopolitanus infulam, quam alii gemmis ornant, ipse virtutibus ornavit. Has inter easque multas & pulcherrimas potissimum emicabat animi demissio, quâ TARASIVS pauperibus, quos multos & alebat & vestiebat, quotidie cibos ex suâ mensâ submittebat, ipse carptor & persæpe (sub festa Paschalia præcipuè) ipse dapifer. Atque hâc ille virtute tantum abest, ut auctoritatem suam, quâ erat, imminutum iret, ut talis etiam Imperatoribus fuerit formidandus. Supplicem certè ad Aram, quem regis cohortes per vim abstraxerant, reddi sibi suus ipse Fecialis fecit. Constantino Imperatori, auctore amore vago, repudium meditati facienti que unus ferè sese opposuit,

fuit, purpuramque purpuræ, coronam coronæ, sceproque augustius pedum objicere non dubitavit. Quid? quod vel mortuus vivo Leoni Imperatori terrori fuit. Cum enim hic nomine etiam suo crudelior templa passim, & in his imagines Dei Divorumque vastaret, somniavit TARASII imperio, à nescio quo Michaële se confossum. Et risit fortè mortem, cum vigil vivere se vidit; sed die sexto à Michaële Balbo confossum potuit dehinc sine superstitione somniis credere. *Ex Surio.*

Heu quam lamentanda vices, quando desperati apud homines possidebunt spem divinam; & humanis bonis pradi bonis caelestibus fraudabuntur: & hoc facit thesaurus, qui cor hominis aut per eleemosynam levat in calum, aut per avaritiam demergit in terram. S. Pet. Chryf. serm. 22.

S. PORPHYRIUS EP. 26. Februarii.

PORPHYRIUS Hierosolymæ æger quotidie loca sacra cum pedibus non posset, genibus ambulabat, expeditissimam viam ad cælum credens, Christi vestigia. Et fuit cum ad pedem Calvariæ montis triste oculis spectaculū, jucundum tamen animo objectum est, Christus cruci affixus, & ponè felicior è geminis latro. Igitur cum latronis verbis etiam PORPHYRIUS Servatorem compellasset, iussit hic descendere latronem è cruce, & opem ægro ferre. Descendit, osculum tulit, manuque peramanter prehensum ad Christum, ut secum itaret, invitavit. Interea properanti obvius ipse in amplexum Servator ruit, iussitque dulce onus crucem suam ferre. Tulit lubens & verò laboris pretium sanitatem abstulit. Proinde sacris initiatus PORPHYRIUS, & custodiæ sanctissimæ
Crucis